

# PROLOGUS.

**T**Heologos, simulatque oculos suos conjecterint in  
hujus titulum, nomenque Libelli, non æquò, nec æquali erga illius Autorem animò  
affectiones fore, quin imò quibusdam bitem motum  
iri, nulli dubitamus. Eò enim usque in suis præconceptis,  
vel à Magistris acceptis opinionibus securitatis, atque obfir-  
mati devenere animi, ut illas omni ex parte veritati consonas,  
& instar Oraculorum ab omnibus habendas esse putent; ac  
idcircò ægerrimè ferant, maximèque indignentur, si quis, sc  
ab ipsis seorsim sentire, profiteri, vel adversus ipsos, senten-  
tiam illorum impugnaturus, in arenam descendere audeat. Sed  
ea est hujus seculi apud nos felicitas, ut parùm curare liceat  
istorum hominum iracundiam, atque indignationem, & nihil  
aliud, si qui animi adeò impotentis sint, ut ab illis in quem-  
quam se abripi patientur, possint, quàm ejus nomen si inno-  
tuerit apud plebeculam, & indoctum vulgus malè traducere,  
atque invisum reddere. Quò ab incommode etiam ut nos far-  
tos tectos conservaremus, personati in scenam prodire con-  
sultum duximus. Et quamvis quidem hòc pactò ipsis non omnis  
maledicendi occasio prærepta sit, quin imò eò ipso anfa præ-  
beatur, nos convitiis Lucifugæ, aut Tenebrionis sinistre ex-  
cipiendi, quique propriâ suâ conscientiâ teste damnatus, no-  
men suum profiteri non ausus fuerit, quòd nullum sibi ipsi ex  
hòc scriptò honorem, nullam apud pios laudem meritò ullò  
promittere potuerit; Maluimus tamen leve id periculum sub-  
ire, cùm sic Andabatarum more aërem tantùm ferituri, & in  
ignotum non nisi irrita torturi sint tela, quàm certis illorum  
linguæ ictibus nominis professione caput nostrum exponere.  
Quod verò honorem laudemque, ex hujus Tractatûs divulga-  
tione in nos redundaturos, attinet; scire illos volumus, ità  
nobiscum comparatum esse, ut nos nec convitia tangant, nec

\* 2

glo-